

Quodcumq; corpus ab anima tanquam principio vitali actu
& formaliter redditur vivum, illud actu non habet vi-
tam actu primi, sed potentiâ saltim: Atqui corpus or-
ganicum actu & formaliter redditur vivum ab anima
tanquam principio vitali, ergò corpus organicum non
habet vitam in actu primo formaliter, sed potentiâ sal-
tim.

Item: Qualis actus est anima hîc definita, talis quoque a-
ctus est vita, quam corpus organicum potentiâ habere dici-
tur: Sed anima hîc definita est actus primus, ut ex definitio-
ne constat, etgò vita etiam, quam corpus organicum po-
tentiâ habere dicitur, est actus primus. Et hæc est brevissima
definitionis Aristotelicæ explicatio, contra quam multa qui-
dem objici possent, quæ tamen omnia adducere & resolvere
instituti nostri ratio non concedit, unicum interim adduxif-
se sufficiat. Dictum fuit, quòd anima nihil aliud sit, quàm
vita substantialis, cui sese opponere solent nonnulli, qui do-
cent animam nihil aliud esse, quàm primarum qualitatum
moderationem, hæc autem est accidens: sententiam hanc
probasse dicuntur hõc modò: quia id vocatur anima, quò
pereunte moritur animal, at verò solutâ temperie prima-
rum qualitatum animal interit, ergò temperies primarum
qualitatum videtur esse anima. Sed hæc assertio falsa est, nec
probatio quicquam evincit, absurdè enim & ineptè ex eo
colligitur animam esse primarum qualitatum temperiem,
quia soluta illa temperie animal moritur. Simili ratione pos-
sem probare animam esse cor, quia læso corde animal mori-
tur, quod tamè absurdum esse quilibet metacente intelligit.

§. 9. Hactenus de anima in genere, jam ad species
quoque progrediendum, & quælibet animæ species paucis
in antecessum explicanda. Numerantur autem communiter
in scholis Physicorum tres species animæ nempe Vegetati-
va, sentiens & Rationalis: Platonici quartam addere ausi
fuerunt, nimirum animam motivam, quam posuerunt in
cælo, magnete, meteoris quibusdam & elementis, ideo
B quia